



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
TVSSI CONVVLSTVA



QVAM

PRAESIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,  
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. NOVEMBRIS CIDICCCXC.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES ANTONIVS WOLFF,  
SEITTENBERGENSIS GLACENSIS.

---

TRAIECTI AD VIADRYM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DISSEPTATIO IN AVGVRA MIB MEDICA  
DE  
TYPSE CONVVLSSIVA

\*\*\*\*\*

IVAN

FRANCO

MAGNETICO ACADEMICO RECTORI  
PETRO-EMMANUELIS HARTMANNI

PHYSICAE DOCT. HONOR. CAES. AUSTRIACAE  
UNIVERSITATIS VIENNAE  
PHYSICAE DOCT. HONOR. CAES. AUSTRIACAE  
UNIVERSITATIS VIENNAE  
PHYSICAE DOCT. HONOR. CAES. AUSTRIACAE  
UNIVERSITATIS VIENNAE  
PHYSICAE DOCT. HONOR. CAES. AUSTRIACAE  
UNIVERSITATIS VIENNAE

D. 2. NOVEMBERIS 1810

DOCTORIS MEDICI DICITATIONEM

LEGITIME CAPSERVAVIS

PHYSICAE DOCT.

AVCTOR

IOHANNES ANTONIVS WOLFF

PHYSICAE DOCT. HONOR. CAES. AUSTRIACAE  
UNIVERSITATIS VIENNAE

---

FRANCO ET KADREK  
L. TYPOGRAPHICO, VIENNAE



V I R I S  
ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS  
AC CELEBERRIMIS

D. I. F. MORGENBESSER

MEDIC. AC PHILOS. DOCT. PROF. PVBL. ORDIN.  
IN ACAD. VRATISL. REG. COLLEG. MED. ET  
SANIT. DECANO, CIVIT. VRATISLAV.  
PHYSICO.

D. IO. ANT. KROCKER

MEDIC. ET PHIL. DOCT. COLLEG. MED. VRA-  
TISLAV. ASSESS. SOCIET. VRATISL. NATVR.  
SCRVT. SILESIACAEQVE PATRIOT.  
SODALI DIGNISSIMO

PRAECEPTORIBVS ATQVE FAVORIBVS

AD CINERES VSQVE COLENDIS



NEC NON  
VIRO PRAENOBILISSIMO  
ATQVE HONORATISSIMO  
D. IACOBO MOLINARI  
MERCATORI VRATISLAVIENSI  
PATRONO ATQVE FAVTORI SVO  
AETERNVM COLENDO

HOC SPECIMEN  
DEDITISSIMO ANIMI AFFECTV  
OFFERT

AUCTOR.





## PROOEMIUM.

**D**e argumenti suscepti gravitate, fateor, persuasus sum; nam versatur circa morbum epidemice quamplurimum grassantem. Eripit violenta manu rei publicae centenos, immo millenos civium, etsi a peritissimis viris omni tempore contra tussim conuulsuam efficacissima adhibita sint remedia. Vtique clantur dubia actu multa resoluenda, incompleta pro parte complenda, corrigenda, magis-

A 3

gisque determinanda: verum haec non expectate a tirone medico, lectores; cum viri tantae sagacitatis in arte medica primi, omnia, in quantum fieri poterat, hoc de morbo expiscati sunt. Attamen et ego candide dico, me non ita vanum esse, vt crederem, dissertatione hac a me loca obscura illustratum iri. Nihil noui allaturus sum, repeto denuo, et in iis, quae profero, id modo agere studui, vt, quantum per temporis ac spatii limites liceret, ea conferrem ac eligerem, quae de hoc morbo medici auctores praeceperunt, scriptisque reliquerunt. Peto igitur etiam atque etiam veniam, lectores, si qui in exponendo, et obseruando admissi sint errores.

CAPVT



CAPVT PRIMVM  
DE  
EXISTENTIA, INDOLE, ET NATVRA  
TVSSIS CONVVLIVAE.

**M**erito tussis conuulsiva in classem morborum chronicorum refertur: cum variis terminetur modis, et in menses, in dimidium annum, imo inepte curata in tres quadrantes anni et ultra plerumque perduret. Morbos chronicos CELSVS perbene definiuit, dicens: *Sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est.* a)

Nominibus diuersis, quibus ab auctoribus designata est conuulsiva tussis, non multum immorabor; cum hoc ipsum alioquin apud recentiores receptissimum sit vocabulum. Ad haec autem vocabatur ab HVXHAMO pertussis, a MORGAGNIO et aliis ferina, perrennis, stomachalis ab aliis: sed, vt dixi, quamplurimum nomine tussis conuulsivae insignitur et non inepte. Tussis haec saepius finitur specie apoplectica, aut plane tetano totius corporis. In aliis porro absoluitur paroxysmus motu conuulsivo mitiori, contractione nempe pedum et brachiorum; conuulsio vero in sensu strictiori nihil aliud est, quam  
alterna

a) Libr. III. cap. I. pag. 3.

alterna et inuoluntaria musculorum contractio, et relaxatio, sensibus interim externis et internis integris. Attamen in hac tussis specie et absentia mentis quandoque, testante experientia, obseruatur.

Tussiendi tempus variat, saepe quotidie absque obseruato ordine vexat, subinde omni altero die grauior, aut obseruat certas diei horas, subinde autem non nisi vesperi redit, et nox plerumque die infestior esse solet. Tussis haec ab initio sicca est, demum post aliquot dies humida fit, educunturque sputa mucosa, crassa, tenacia. Libera fere nonnunquam inuenitur respiratio extra paroxysmum, pectusque non nisi modice oppressum; iungitur autem, si diutius perdurauerit, adpetitus prostratus, aluus clausa, aut segnis; somnus vix vllus, febrisque remittens, intermittens, lenta, vespertina.

Tempore paroxysmi vt plurimum auditur pectoris stertor, inspiratio difficilis, rara, qualis v. g. a fumo sulphuris esse solet. Exauditur sonitus, et tussiendi exacerbatio, terminatur cum protuberantia oculorum, et illacrymatione. Facies turgescit, liquefcit, ascenditque pectoris oppressio ad summum vsque, ita, vt inspiratio fere omnis per sat longum tempus inhibeat, omni momento suffocationis metus increfcit, et sanguis per os, per nares, expellatur. Tandem miseri vel assumpta, vel mucosam pituitosamque materiem euomunt, et ita admodum delassati ad se redeunt paulo post. Vero, non vo-

mentes

mentes vniuersim difficilius morbum perferunt, et experientia testante facilius conuelluntur.

Enarrata phaenomena a spastica contractione vasculorum pulmonalium necessario sequi debere, quisque intelligit; cum perpendamus, inter tussendum miseros aerem summa vi expellere, non vero sufficienter inhalare posse; hinc fere apnoici fiunt aegri, dein per pulmones liber sanguinis transitus retardatur, accumulatur, fit cordi dextro resistentia, impeditus vna refluxus a capite, cum sanguis venae cauae non possit in cor ire; hinc sanguis exit pulmone, ore, oculis et naribus; inde non raro infarctus vasorum encephali, paralysis, mors apoplectica.

Nonnunquam sub imagine catarrhi simplicis nos decipit tussis conuulsiva, ab initio nempe, et hoc caractere plerumque hac hieme constanter gaudebat; sicuti mihi obseruandi occasio erat.

Inuadendi modus, vt patet, aspectu tristis omnino est, plerique per vnam aut aliquot horas se bene habent, percipiunt, si paroxysmus imminet, anxietatem multum sensibilem, a scrobiculo cordis, ab oesophago ad fauces vsque se extendentem; obruntur infantes timore iam noti mali, omnique conatu instantem tussim euitare student, etsi in cassum, tandem omni vi, et cum stertore respirant, et mox in tussim fere suffocantem incidunt, aerem hauriunt, atque alternatim per plura minuta, quandoque per quadrantem horae et vltra excruciantur.

... .. **B** ... .. Sana

Sana ratio dicitur, quo citius, quo frequen-  
tius, quo maiori cum vehementia, quo longius in-  
festant paroxyfmi, eo plus periculi adesse.

Quoad existentiam huius morbi auctores cer-  
tant. Primo in Gallia fuit detectus anno 1414, quo  
nomine *coqueluche* insigniebatur. Cel. ROSEN-  
STEIN, SELLE, et alii affirmant, non ante annum  
1015 existisse, et morbum hunc primo ex aliis regio-  
nibus ad nos translatum fuisse, vti variolae, morbilli,  
morbi que venerei. Verum et de his multa disputan-  
tur pro et contra: forte et tussis conuulsiva omni  
existit tempore, etsi non ita acurate a veteribus de-  
scripta, et, quod probabilius, confusa fortasse cum  
aliis tussis speciebus. Ante annum 1416-17. qui-  
dem non censebatur pro tussi peculiari, sed inde nil  
probatum.

Clarif. STOLL pro certissima obseruatione ha-  
bet; tussim conuulsivam sequi praedominantem pec-  
toris morbum, et tussim hanc, vti se exprimit, stare,  
aut cadere, prout morbus epidemicus princeps aut  
stat, aut cadit; ita, vt tussis conuulsiva alium mor-  
bum principem pectoris sequatur potius, quam vt  
alii morbi tussim hanc sequantur.

Obseruauit hoc praecipue anno 1775, et ibi-  
dem mentionem facit fabri lignarii decumbentis in  
nosocomio S. T. anno 1778. qui ex pleuritide con-  
ualefcens grauissimum et fere suffocantem tussis con-  
uulsivae paroxysmum expertus est. b)

Negat

b) STOLL in *dissert. de tussi conuuls.* Tom. II, pag. 212.



Negat mox citatus auctor opinionem cel. ROSENSTEINII, dicens: se obseruationibus accuratissime factis vix non inuenisse, tussim conuulsiuam exacerbari, vti tertiana febris duplicata; etsi contigerit, quod dicto modo paroxysmus recurreret: cum febris intermittente aut remittente tussim hanc complicatam fuisse obseruauit, hinc dispare iam esse morbos concludit. Eodem in loco contra cel. ROSENSTEIN affirmat, tussi conuulsiuam laborantes non solum facillime relapsus pati, sed plurima exstare exempla binis, trinisque vicibus obseruatae tussis conuulsivae, diuersis annis, in eodem homine; dicitque porro, relapsum in tussim hanc ita facilem esse, vt cantu, vel solo risu de nouo inuitaretur. Nouit cel. vir feminas ita obnoxias tussi conuulsivae, vt si validius rideant, paroxysmum patiantur. Caeterum quoque ab opinione cl. ROSENSTEIN et aliorum cel. virorum alienus esse videtur, dum ait: se non existimare tussim hanc contagiosam dici posse, vti variolae, morbillique.

Nos ergo actu latet, vt STOLLIVS vult, vt-rum tussis conuulsiuam re vera contagiosa sit, nec ne, licet, vno in quapiam domo adfecto, reliqui infantes rarius immunes maneant. Conueniunt vero omnes auctores hac in re, tussim conuulsiuam fere semper epidemice, raro tantum sporadice, grassari. Dubia mox mota perpendite iam ipsi lectores, mihi interim sufficiat illorum fecisse mentionem. Patebit forte ex sequentibus, vtrum sententiae ROSENSTEINIANAE aliorumque clarissimorum virorum merito subsistere possint.

B 2

Vidi



Vidi hac hieme in fundatione Tauroitiana tussim conuulsuam sub varia forma et complicatione. Vidi aliquoties tussi dictae variolas superuenire, stadiis vero rite absolutis de nouo omni cum pertinacia eadem rediit vaga cum febre feciata, tradensque omnibus in cassum adhibitis miseros orco, cum viribus iam nunc toti exhausti essent. Triste erat, ceruere infantes iamiam tussim edituros angi, irasci, obuia quaeque a sese remouere, nutricem aut parentes pugnis inpetere, tumque in tussim plerumque prorumpere.

Patet ex dictis, quod tussis haec sit morbus admodum periculosus, si diutius perdurauerit; quia solummodo tum complicata est cum peripneumonia, haemoptoe, intermittente, remittente, aut lenta, vespertina, febre.

Inuadit praecipue infantes ab aetate trium mensium ad decem vsque annos et ultra; caeterum nec parcat adultis, vt existant exempla, etsi illos rarius inuadat. Adamat quodlibet temperamentum, plethoricos, leucophlegmaticos, rachiticos, dentientes et non dentientes, tamen libentius laxiores, pituitosiores, sexumque sequiorem prae virili.

Tussi conuulsuae fauet aura frigida humidaque, vt testantur SYDENHAMII, FRIDERICI HOFFMANNI, et omnium recentiorum obseruationes.

CAPVT

## CAPVT II.

DE

MORBI SEDE, CAUSAQVE MATE-  
RIALI.

Si morbi causam spectemus, eiusque sedem, varia omnino est. Docet id observatio fidelis clariss. virorum, docentque epidemiae variae, diversaeque medendi methodi.

Morbi materia prima, testante experientia, non semper est accumulatio mucii in ventriculo, etiamsi copia pituitae reiiciatur tempore paroxysmi: potius saepe pro effectu, quam pro causa haberi potest, et debet. Non improbable est, mucum hunc vomitu reiectum, spermati ranarum non absimilem, a glandulis intestinorum, ventriculi, et oesophagi, vi motuque violento tussis fuisse prius emulsum et expressum; nam tussis convulsiva observata est primis viis quam maxime puris.

Nec semper causa materialis est metastasis materiae herpeticæ, variolosæ, morbillosæque in pulmones delatæ; nec est epidemici quid in aëre hærens, vel in alimentis; neque infecta, in quibus seminum tussis convulsivæ consisteret, ut quidam voluerunt. Adeoque causæ materialis natura nos penitus latet; vno verbo: quotquot tussis causæ in infantibus sunt, tot possunt non simplicem solum tussim,

B 3

sim,



sim, sed vere conuulsuam producere, testante clariss. STOLLIO, praecipue in subiectis irritabilioribus.

Quod de causa, id de sede huius morbi valet. Dantur auctores, a quibus sedes intra thoracem, vel extra hunc, et dantur alii, a quibus sedes mali in visceribus abdominalibus, plerumque vero in ventriculo statuitur, a quo pulmones per consensum afficiantur, vt asserunt. Verum nec haec regula vniuersalis est: nam vti ex praecedentibus iam pro parte patet, non omnis conuulsua tussis sympathica est; datur et tussis conuulsua, illaeso systemate gastrico, a solis pulmonibus, pituita obsessis. Gluten hoc obliniens aeream pulmonum superficiem forte mora in corpore acre factum, irritat, stimulat: hinc saepenumero, tanquam a causa proxima, nerui diaphragmatis, nerui pneumonici, bronchiorum, ac mesochondriacorum musculorum in spasticas contractiones agitantur.

In epidemia, quam clar. STOLL obseruauit anno 1775, manifesta causa excitans erat rheumaticum quid; nam cessare vidit tussim hanc postquam ortus esset rheumaticus dolor in nucha, et inter scapulas, et in humero, et brachiis. Concludit ergo, in hac epidemia sedem mali in diaphragmate fuisse, neruisque illud perreptantibus, quos materia ad ipsos deposita acris rheumatica laceffuit. c)

CAPVT

c) Vid. STOLLII *rat. medend.* Tom. V. pag. 134.



## CAPVT III

## DIVISIO.

Cum nullus auctorum vsque huc genuinam  
tussis conuulsivae dedisset diuisionem, etiam et hic  
clar. STOLLIVM secutus sum.

I. Alia est tussis conuulsiva epidemica idiopathica,  
vbi soli pulmones affecti sunt, causa interim fit,  
quaecunque voluerit.

II. Alia est conuulsiva tussis stomachico-sympathica,  
quae pro causa habet colluuiem acrem viscidamque  
haerentem in mesenterio, ventriculo, et intestinis.

III. Alia porro est tussis conuulsiva ex vtraque priori  
specie composita, vbi pulmones sympathice a pri-  
mis viis afficiuntur, et simul idiopathice vexantur.  
Fit hoc v. g. si tussis stomachica diutius iam dura-  
uerit, vti in diuisione II. dictum est, et si inde in  
pulmonibus pariter natum fuerit vitium. Compli-  
cator, periculosiorque adhuc tussis conuulsiva fo-  
ret, si febris intermittens, remittens, aut alius  
generis simul accesserit.

IV. Tussis conuulsiva demum alia est, sporadica nem-  
pe, quae diuersas agnoscit causas, et raro in con-  
suetudinem venit, vti iam monui. Sic v. g. in den-  
titionibus, in verminosis, in rachiticis, et scro-  
phulosis saepe visa est tussis, conuulsiva quasi.

CAPVT

## CAPVT IV.

## CVRANDI METHODVS.

Variat medela admodum pro diuersitate causae vario in loco positaе; quam nisi medens rite fuerit expiscatus, plus detrimenti aegro certe infert, quam si morbus soli naturae fuisset commissus. Sciat igitur medicus, ab initio praesertim heroicis, magisque valentioribus remediis caute vtendum esse, cum morbus ex genio et natura sua plerumque sit longus, pertinax, et quod ab aegri viribus omnia fere dependeant; et tandem ne his forte absque imminutione morbi reliqua destruatursanitas.

Exstant epidemiae multae, in fine pro parte recensendae, vbi hoc, vbi illud medicamentum bono cum effectu in auxilium vocauere cel. viri. Sed hoc non obstante, methodus certa, directa, praescribi nequit, sed curam secundum symptomata institui debere, ex causis superius dictis, et dicendis, liquet.

In omni tussis conuulsivae specie bene consideranda, sollicitaque examinanda praecipue sunt sequentia; an tussis conuulsiva epidemica sit recens adhuc, an inueterata. Quod si inuenerit, tussim hanc esse simplicem mere, et malum potius in territorio systematis gastrici haerere, incidentia, mucum soluentia, expellentia, emetica, purgantia ex Rheo, Manna etc. repetitis vicibus bono cum fructu dabit medicus. Verum quod cum his non continuandum, non crebro

crebro repetendum sit, quisque intellecturus est, cum aegri vires, vt dixi, in quantum poterit, conseruari debeant. Absoluitur hoc in casu cura fere semper potione saluiae glutinosae cum lacte suadente LINNEO, aut roris marini syluestris, maioranae, et talibus leniter tonicis; ad quam classem et syrupus corticis peruuiiani pertinet.

Videndum vltius, an tussis haec a vitio pectoris idiopathico tantum fuerit orta, illaeso systemate gastrico, an pulmones tam inertis materie pituitosa obsessi sint, vt in peripneumonia notha seu pituitosa esse solet. Caue vero, ne te decipiat haec; difficile enim determinatu est, vtrum oppressio pectoris ingens cum inflammatione coniuncta adsit, an careat.

Hic profunt ad purgandas primas vias laxantia superius laudata, cum fere semper ab infantibus copia mucii, durante paroxysmo, deglutiatur. Prodest kermes minerale, aliaque emetica leniora in refracta dosi, vt vocant, adhibita, aut etiam emesis ipsa, turgente materie pituitosa versus superiora; nec applicatio sulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis, squillae, et stibii diaphoretici erit spernenda. In fundatione Tauroitiana praeter alia sequens fuit in vsu, et inde bonos vidi effectus.

℞ pulv. flor. Sulphuris

— liquirit.

— lap. cancr.

— Stib. diaphor. non ablut.

ā dr. ʒj — ʒjβ

— Sulph. aurati antimon. tert. ppt. gr. ii — iii.

C

Diui-

Diuidebatur hic puluis, pro vt aetas erat, in XII et plures partes, vt aeger omni bihorio partem vnam absumeret. Scopo emetico ipecacuanha, vel grana aliquot tartari emetici in solutione, aut mixtura ex sale ammoniaco cum tartaro emetico et syrupo capill. veneris, aut simili propinabatur.

Verum methodus haec locum habere non potest, vbi sanguis in pulmonibus rurget, vbi abundat materies vera, essentialis phlogistica. Illico hac ex causa diatheseos inflammatoriae primaria cura habenda, totusque apparatus antiphlogisticus in auxilium vocandus, phlebotomia, pro vt necesse, repetenda est. Inter omnia medicamenta antiphlogistica nitrum eminet; id quod praesertim conducit, si in emulsione amygdalina exhibetur: decocta mucilaginosae et resoluentiae, et syrups tales profunt, vbi simul acre quoddam in humoribus latet.

Inclinant alioquin robusti ac plethorici quam maxime in morbos inflammatorios omnis generis, superueniente peripneumonia vero tussis conuulsiva fere semper euadit lethalis: etsi aegri non pereant peripneumonice, saltem post multos menses, praecipue cum simul haemoptoicum quid praecesserit, oritur in pulmonibus suppuratio, phthisis.

Attamen non infrequenter sub fine tussis conuulsivae obseruantur sputa puriformia, quae vere purulenta non sunt, et ideo bene distinguenda; cum haec curentur decocto lichenis Islandici vel polygalae  
ama-

amarae, vel cortice peruuiano, vel pillulis ex gum. ammoniaco, mastich. myrrh. cum balsamo Peruuiano paratis, quibus addi potest sapo venet. et M. Pil. Ruffi.

Non minus mox recensita methodus valet, vbi corpus totum iam emaciatum, languidum, et sudoribus nocturnis contabescit; verum et hic hac cum cautela, vt saburrae latenti, aluique libertati prospiciatur. Conducit hic quam optime enema frequens iniectum.

Longe grauior autem exurgit quaestio, si medicus enarrata symptomata, in singulo aegroto, vnita et inter se connexa deprehendat. Etenim saepe fit, vt ventriculus et intestina saburra acri, et pulmones mucu inertis grauentur, atque simul et semel conquerantur aegri de phlogosi vera. Casus vere difficillimus curatu; si haec vitia iungantur inuicem. Cuinam indicationi hic satisfaciendum primo? — vrgentiori, respondeo cum cel. STOLLIO, v. g. peripneumoniae, aut stasi inflammatoriae plethorae in encephalo: tussis autem naturae erit committenda, et vires vitae erunt sustentandae.

Oportet hic quam maxime medicum prudens ferre iudicium practicum, ne inepta medicatione noceat, vbi iuuandum est. Multo melius est, in indicationibus adeo obscuris et incertis, subsistere in generalioribus mere remediis, non heroicis: nam, qui generalia adhibet, naturamque obseruat, certiores formare potest conclusiones, atque ita feliciter saepe scopum desideratum obtinebit.

CAPVT V.  
 REMEDIA IN TVSSI CONVVLIVA  
 LAVDATISSIMA.

Numerus diuerſorum medicamentorum ad-  
 eo eſt multiplex, vt nimis longus forem, ſi omnia  
 contra tuſſim hanc laudata recensere vellem. Inſau-  
 ſta ſaepe veteranorum curandi methodus in ſcriptis  
 hinc inde ſparſis alioquin relegi poteſt, ſi placuerit:  
 mihi interim ſit ſatis, exponere breuitatis cauſa reme-  
 dia praectantiora apud varios auctores inuenta. Cae-  
 terum perſuaſus ſum, ſi quis calleat morbi propieta-  
 tes, ſi detegerit cauſam morbi primam, ſedemque,  
 facile quoque intellecturus eſt ex genio et natura me-  
 dicamenti, quo, quando, et ſub quibus conditio-  
 nibus huic vel illi remedio locus eſſe poſſit.

Dantur auctores, qui totum fere apparatus  
 medicamentorum antiſpasticorum et narcoticorum  
 exhauſerunt. En vſitatiffima, et maxime laudata  
 remedia. *Moſchus*, *extractum nicotianae* ad grana  
 duo vel tria datum, a multis commendatur; quibus  
 vero nauſeam excitat, iis ſuadente cl. ROSENSTEIN  
 modicum aquae cinnamomi ſuperbibendum eſt. Ex-  
 ſtat et ſyrupus ab eadem planta paratus in diſpenſa-  
 torio Württembergeniſi, qui in aſthmate pituitoſo ſum-  
 mopere laudatur: vnde merito quaeritio exſurgit, an in  
 morbo huic ſaepe conſimillimo, tuſſi conuulſiua nem-  
 pe, non eundem poſſet praectare effectum, ſi daretur,

vii

vti superius monitum, cum aromate quodam ad euitandas vomitiones.

Nec minus commendatur assa foetida; cuius vires praecipue cl. MILLAR expertus est. Exhibuit plerumque intra 24 horas dr. j—j<sup>ss</sup> etiam ad dr. ii vsque.

A nonnullis *hyoscyamus et opium* summopere laudatur: interim notare velim, cum opio praeserrim caute mercandum esse; cum obseruatio docuerit, narcotica ea in tussis conuulsivae specie, a mucositate spissoque orta, vix non induxisse suffocationem. Vno verbo, omnia huc vsque recensita narcotica pessime conueniunt, siue tussis conuulsivae causa prima in prauis contentis latentibus in ventriculo, intestinis et mesenterio, siue in vitio idiopathico pulmonum, glutine inertis obductorum, siue in phlogosi, siue tussis haec in mixta dictorum specie consistat.

Curatio antispasmodica ergo solum tum valere videtur, si sanguis diluor sit, atque a laxiore solidorum fabrica frequentiores spasticae contractiones obnascantur; dein si ablata causa excitante tussis ex mera consuetudine ob irritatum iam nervorum systema redeat. Valet hic insuper camphora, pilulae balsamicae, et cortex peruuianus, de quo vero mox plura.

In epidemiis, vbi *opium, extractum hyoscyami*, nonnunquam tussim conuulsivam profligauit, credit cl. STOLLIVS, causam excitantem fuisse huius indolis,

dolis, vt opio, omnium sudoriferorum potentissimo, per corporis superficiem potuerit diffari: sic e. g. vbi causa excitans erat defluxio serosa, perspirabile suppressum ad pulmones deiectum, nervosque irritans, quod cum mobile fuerit, tenue, facile diffusibile, forte dato summe diaphoretico, videlicet opio, diffusum est.

A quibusdam *cortex peruuianus* inter medicamenta efficacissima numeratur; sed hoc etiam de reliquis in hac tussi laudatis valet, si nempe ad statum et tempus, vbi, et quando, haec vtilia esse possint, attendamus. Vniuersim indicatur, vbi roborandum est, si vires vitae exhaustae, morbusque diutius iam durauerit, ad fractum fibrarum tonum restituendum bono cum fructu datur. Prodest, si febres intermittentes grassantur, quae dominium suum etiam in hunc morbum libenter extendunt; supprimitur hinc talis febris cortice peruuiano, et vna quandoque tussis curatur.

Nocent vero *cortex peruuianus* summopere praesente stimulo phlogistico, vt et reliqua non anti-phlogistica expectorantia, tonica, subamara, atque balsamica. Nocent, siue phlogosis in peripneumonia, vel vera, vel notha, consistat. Non quidem directe huc pertinet, interim tamen notare velim, omnes fere peripneumonias nothas labe phlogistica complicatas esse, quamuis longe minore, ac in peripneumonia vera, vti experimenta anglicana confirmant.

Sua-



Suadent non nulli *emetica*, *vsus tartari emetici*,  
*et kermētis mineralis*. Ita clar. ZIMMERMANN vnice  
 confidebat emeticis, et cl. VNZER plane iudicat, nun-  
 quam tussim conuulsuam absque emeticis curabilem  
 esse. Prodest omnino, vti iam monui, in consti-  
 tutione nempe mere pituitosa, seu in alio vitio sa-  
 burrali, bilioso v. g. primas vias occupante: verum  
 cui non incidit, *vsus* horum remediorum esse pessi-  
 mum in casibus non solum manifeste inflammatoriis,  
 sed etiam in occultis, cum dicta remedia vomitum  
 et alium moueant? Vomitus praeterea adhuc eo in  
 casu inuitandus est, et quidem digito in fauces im-  
 misso, melius vero instrumento quodam titillatorio  
 v. g. pluma oleo madefacta, vbi tussis admodum ve-  
 hemens, vbi vix a tussiendo quies, vbi faciei liuor,  
 turgescētia, conuulsio. Proderit et hic etiam ab-  
 sente phlogosi V. Stio prophylactica mere ad auer-  
 tendos vasorum encephali infarctus, rupturae me-  
 tum, pulmonumque inflammationem fortasse futu-  
 ram. Quibus in casibus praeterea V. Stio conueniat,  
 dixi: nempe vbi diatheseos inflammatoriae metho-  
 doque antiphlogisticae primaria cura habenda est.

*Vesicantia*, scopo materiem a pulmonibus pec-  
 cantem reuellente, praecipue, a cel. HVXHAMO, si tus-  
 sis nempe nimis vrgeret, respirationis difficultas nec  
 succo millepedum, nec emulso gummi ammoniaci ce-  
 deret, nec non a SYDENHAMO, praeter V. S. et re-  
 petitam catharsin, in *vsus* vocata sunt.

Maxi-

Maximum vero solamen hoc in morbo adferre videntur vesicantia, si quid rheumatici, seu alius cuiusdam acredinis cum tussi conuulsiva coniungitur, vel plane causa excitans fouet, vt in epidemia 1775 a clar. STOLLIO obseruata, et in capite II. iam recensita. Pollet nimirum vesicans vi antispasmodica, medetur spasticae contractioni fibrarum, ab acri quodam ortae, augetque omnes secretiones aquosas, atque humores acres, etiam per ipsam suppurationem partis eius, cui imponitur, eliminat, et a parte viciata deriuat. Adsumitur hinc: vbicumque lateat rheumaticum quid afficiens pulmones, excitansque tussim conuulsiuam, vesicatorium vel cucurbitas siccas posticis colli, dorisque; et potus diaphoresin leniter mouentes bono cum fructu applicari oportere.





✓  
01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246

3







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
TVSSI CONVVLSTIVA



QVAM  
PRAESIDE  
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,  
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,  
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. NOVEMBRIS CIOIDCCCXC.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES ANTONIVS WOLFF,  
SEITTENBERGENSIS GLACENSIS.

---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

